Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

BEZOARDICORVM EMOLVMENTO ET DETRIMENTO

QVAM PRAESIDE

DN. CHRISTIANO GODOFR. STENTZELIO

ARTIS SALVT. ET PHILOSOPHIAE DOCT. CHIRVRG. PROF. PVBL. ORDINARIO PATHOLOGIAE PROF. SVBSTITVTO ET H. T. FACVLTATIS MEDICAE DECANO

DN. PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE OMNI HONORE AETERNVM DEVENERANDO

PRO DOCTORATVS GRADV

ET SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS

PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE SVBIICIT

AVCTOR ET RESPONDENS

GOTTLOB DAVID MVLLER, DRESDENSIS

AD DIEM IV APRILIS ANNI cIↃ IↃCC XXXV.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.



DE

BEZOARDICORVM EMOLVMENTO ET DETRIMENTO.

I.



Statuatur iuſtum cuiuis pretium, ſeruetur in rebus laudandis et uituperandis modus, derogetur nulli quid iniuſte, nullique quid tribuatur inique, quo, quid uerum, quid falſum, quid utile, quid noxium, aſſequi queamus. Plures in eo medici a recta uia multum aberrant, dum uno alteroue commoti experimento, a particulari ad uniuerſale abſona concludentes methodo, quaedam remedia, licet repugnantem habeant rationem atque experientiam, non laudi-

bus ſolum ad coelum usque extollunt, ſed eadem etiam, panaceae inſtar, in quibusuis morbis, commendant et praeſcribunt, aliosque plurimis afficiunt conuitiis, qui illorum auerſantes nugas contrariam amplectuntur opinionem, nullumque remedium uniuerſale ad quoſuis morbos curandos ſufficiens, admittunt. Dantur utique remedia πολύχρεστα, quorum magna in multis infirmitatibus curandis eſt utilitas, panacea uero, remedium ſcilicet, proſperam in quibusuis ſubiectis ualetudinem conſeruans, omniaque corporis mala aufferens, adhuc deſideratur, et poſt noſtra deſiderabitur fata. Acriter quidem et multum multi de poſſibili panacearum praeparatione diſputarunt, ſed hic non diſputatione, ſed demonſtratione atque experimentis opus eſt; non uerbis, ſunt PARAEI (a) uerba, ſed remediis conuenienter uſurpatis, conſeruatur et reſtituitur ſanitas. Nec defuerunt alii, qui de panacearum poſſeſſione maxime gloriati fuerunt, idque aliis ſordidi infamisque cauſa lucelli per-

(a) *in Canonibus ſuis Canon. 2.*

persuadere uoluerunt, sed aliud plane euentus, certissimus rerum medicarum magister, docuit; periit quippe inanis ille iactator Paracelsus, qui suo Azoth, Methusalemi secula promittebat; periit pariter Helmontius, perierunt alii quoque, peribunt et illi, qui suis balsamis uitae, tincturis solaribus, essentia dulci, aliisque similis naturae remediis hominibus longaeuitatem pollicentur, cum plures iam hisce horumque promiscuo usu praematura e uiuis morte sint surrepti, nam, uti habet CELSVS, (b) non omnibus aegrotis eadem auxilia conueniunt.

II. Est ita, nec aliter, praesentis hominibus mundi magis fucus, quam sinceritas arridet, atque ab iisdem medicaster multa magnaque promittens maiori in pretio habetur, quam genuinus uereque doctus medicus; quid mirum, si quae medici, medicamenta quoque sustineant fata, et ea, quae laudanda, uituperentur, quae uituperanda, laudentur. Vti uero nullum inuenitur remedium in omni peraeque casu congruum at-

(b) lib. III. de Re Medica cap. I.

que utile, ita nullum quoque reperitur tam abiectum, quod omni destituatur emolumento. Habent et medicamenta suas uirtutes, suaque pariter uitia. Vtrorumque uero fundamentum diuersa applicatione, usu atque abusu innititur. Vnde dilucide patet, quod quaeuis remedia, quas possident uires, a uario solidorum fluidorumque nostrorum statu motuque recipiant. Motus uero ac dispositio partium corporis nostri tam in sano, quam aegroto multiplex existit, multiplex igitur in diuersis subiectis unius eiusdemque remedii operatio quoque erit. Hoc quotidie in sic dictorum purgantium, emeticorum, diaphoreticorum, diureticorum, emmenagogorum, cordialium, cephalicorum, pectoralium, hepaticorum, bezoardicorum usu experimur, obseruantes, remedium, quod huic profuit, illi obesse, quod sudorem mouit in altero, alteri crebriores alui deiectiones procurasse. Famigeratissima uero inter remedia sunt, bezoardica, quae, cum multifaria uereque polychresta sua uirtute, benignaque partim, partim maligna operatione, satis nota sint,

et

et multis aliis internis praeferantur medicaminibus, iique, qui ne extremis quidem digitis ſalutaris fundamenta artis attigerunt, felici ſaepe, ſaepeque infelici ſucceſſu eadem adhibeant, operae pretium eſſe iudicaui, de accommodato directoque eorum uſu in morbis tam acutis, quam chronicis agere, et ſimul, quae quantaque promiſcuam et praepoſteram remediorum bezoardicorum applicationem ſequantur, incommoda indicare. In his uero perficiendis, non diſpiciemus, quid hic illeue inclutus medicus de bezoardicis remediis in genere, aut de hoc illoue in ſpecie ſenſerit, ſed noſtri ratio inſtituti poſtulat, ut diuerſorum principia naturamque bezoardicorum examinantes, eadem cum iis, quae uſus atque obſeruationes clinicae ſubminiſtrant, experimentis conferamus, ac deinceps ratione atque experientia ſuffulti in quibusnam caſibus, quae et qualia bezoardica, qua doſi, quo uehiculo, cum iudicio applicanda ſint, ob oculos ponamus ac demonſtremus, quia medicamenta, bezoardica inprimis, uti loquitur

GA-

GALENVS, (c) ueluti Deorum manus ſunt, quod iuuent maxime, ſi is, qui eis utitur, in rationali methodo fuerit exercitatus, et natura prudens.

III. Prudentia igitur medici, prudensque, ſecundum indicata, bezoardicorum applicatio, illud, quod a bezoardicis in praeſentis defenſione ſanitatis, morborumque cura, deſideramus, emolumentum, nobis procurant. Medici econtra imprudentia, et praepoſterus allegatorum uſus, cauſam detrimenti, quod hac ratione afferunt, conſtituit. Sunt autem Bezoardica, alias a medicis Alexiteria, Alexipharmaca, Antidota, Theriacalia dicta, medicamenta, quibus ſpecifica uirtus uenena et malignitatem expellendi tribuitur. Eorum nomen deriuatur a lapide Bezoar, qui uocabulis Perſicis Pa et Zahar ita dictus fuit, cum apud Perſas Pa contra, Zahar uero uenenum ſignificet. Ex aliorum mente huius termini deriuatio deſumta eſt a uocabulo Hebraico et Chaldaico, Beluzaar, quod Bel dominum, et Zaar

(c) *lib. 6. de compoſ. medic. ſecundum locos cap. 3.*

Zaar uenenum denotet, ſed eosdem in eruenda huius termini origine hallucinari, DEVSINGIVS (d) perhibet. Nec eorum approbandam eſſe ſententiam, qui hunc lapidem a Perſico *Bazar*, uel Pazar, forum ſeu mercatum denotante, dictum uolunt, docet BONTIVS, (e) de eodem tradens lapide, quod nemo unquam ipſum in foro uenalem uiderit. Hunc deinceps terminum medici non ſolum de lapide bezoardico orientali atque occidentali, iisque medicamentis, quae lapis Bezoar ingreditur, ſed de aliis etiam remediis, quae ex eorum ſententia, ſimilem cum lapide bezoardico uirtutem et principia obtinebant, uſurparunt.

IV. Antiquis bezoardica nomine ignota, re uero notiſſima fuerunt, cum, quod hodie bezoardici titulo inſignitur, ab iisdem in genere alexiterium atque alexipharmacum, in ſpecie theriacale fuerit appella-

 tum;

(d) *faſciculo diſſertat. ſelect. quae Groeningae 1660. in 12mo prodierunt. diſſertat. de lapide bezoar. p. 325.*

(e) *de Med. Indorum Animaduerſ. ad cap. 45. Garciae ab Horto.*

tum. Conſtituunt quidem nonnulli, teſte GIESWEIN, (f) differentiam inter alexipharmaca atque alexiteria, aſſerentes, quod illa deleteriis atque ore aſſumtis uenenis reſiſtant, medelamque afferant, haec uero animantium uenenatorum ictibus et morſibus, ac uenenis extrinſecus applicatis ſint oppoſita. Hodie uero eadem, tum alexiteria, tum alexipharmaca, unum idemque cum bezoardicis denotant. Alias alexiteriorum nomine, quaeuis in genere morborum antidota indicabantur, uti ex GALENI in Hippocratem commentario conſtat, ubi ſequentia leguntur uerba: ἀλεξητήρια, βοηθήματα, καὶ γὰρ ἀλέξασθαι, βοηθεῖν ἐστὶν. (g) Ab his quoque ortum exiſtimo graue illud praeiudicium, ubi non modo haec remedia pro ſpecificis certisque omnium uenenorum antidotis habebant, ſed eadem

(f) *Hodego Medico, ſeu ſyſtemate uniuerſae materiae medicae Galeno-Chymico, quod in 8uo Francofurti ad Moenum 1676. prodiit, lib. I. Part. 3. titulo 36. p. 178.*

(g) *Vid. Lexicon Erotiani et Galeni Graecum, quod cum Dictionario medico Pariſiis apud Henricum Stephanum Ao. 1564. in 8uo prodiit, p. 60.*

dem quoque ad prosperae tutelam ualetudinis, omnisque medelam infirmitatis, in quibusuis subiectis, quouis tempore, tanquam uniuersalia et tutissima prophylactica, promiscue commendabant; theriacam, scribit GALENVS, (h) ceu ipsa quoque ignis quidam purgatorius existit, si in pestifero aeris statu assumatur, neutiquam humorum corruptionem pestemque admittere, nouimus. Et alio loco, apud eundem auctorem, (i) sequentia leguntur: si quis singulis diebus, quemadmodum tempestate nostra Aurelius Antonius Imperator, uel sicuti olim Mithridates solebat, antidotum capiat, nullis noxiis potionibus laedetur. Id quod ipsi Mithridati contigisse ferunt, qui tum potius ueneno mori, quam in potestatem Romanorum uenire decreuisset, nihil inuenit, quo se necare posset. Haec de theriaca, uniuersali cuiusuis ueneni antidoto, persuasio, tam altas in mortalium animis egit radices, ut adhuc hodie innumeri homines

(h) *lib. de theriaca ad Pisonem cap. 28.*
(i) *lib. I. Antidot. cap. 1.*

quotidie theriacam non ſine ſanitatis diſpendio aſſumant, eo ipſo, quo morbos praecauere geſtiunt, morbis anſam et materiam ſuppeditantes.

V. Nec aliud quid ex promiſcuo bezoardicorum ſeu alexipharmacorum uſû expectandum; quemadmodum enim maximum in uenenis ac cauſis morborum diſcrimen obſeruamus, ita idem praecipue in remediorum his oppoſitorum et reſiſtentium examine atque applicatione attendere decet. Nec credendum, quod lapis bezoar, decantatum illud remedium, ad quosuis curandos morbos, uti multis perſuaſum eſt, conueniat. Lapis bezoar, ignotum priſcis Graecis et Latinis medicamentum, uti annotauit PANCIROLLVS, (k) inter nobiliora ac praeſentiſſimi remedia effectus, noſtro laudatus ſeculo, primum a RHASE, (l) AVICENNA, (m) et SERAPIONE, (n) cele-

(*k*) *lib. 2. recens. inuent. tit. 3.*

(*l*) *lib. 8. ad Almanſorem cap. 11. 14. 15. et lib. 1. diuiſ. cap. 141.*

(*m*) *lib. 4. Canon. fen. 6. tr. 1. ſum. 2. cap. 1.*

(*n*) *Lib. de ſimplic. medic. cap. 396.*

celebratus, ac contra uenena, tanquam praeſtantiſſimum alexipharmacum, commendatus fuit. Poſt Arabum uero tempora, antecedentibus aliquot ſeculis, hic lapis, teſte DEVSINGIO, (o) plane obliuioni traditus, diu in occulto haeſit. Huius uero uſus, dignitas et fama, cum malignarum acceſſu febrium, quas Itali petechiales dicebant, renouata et quaſi reſuſcitata fuerunt, ita ut plurimi tum certa illa occupati tenerentur perſuaſione, perſuaſi a medicis uel imperitis, uel ſuperſtitioſis, uel lucelli cupidis, neminem ſine huius lapidis uſu a febri petechiali aliaque maligna poſſe liberari. Vnde plures de eo lapide comparando ſolliciti nullis ſumtibus pepercerunt, eoque etiam prudentes adegerunt medicos, ut nonnulli, teſte BAVHINO, (p) licet inuiti, dictum remedium in uſum uocare coacti fuerint.

VI. Licet uero lapis bezoar ſatis notum ſit remedium, multa nihilo ſecius abſo-

(o) *faſciculo ſelect. diſſertat. edit. citat. diſſert. de lapide bezoard. p. 321.*

(p) *in Praefatione tractatus de lapide bezoar.*

na de eiusdem origine, principiis et uiribus apud uarios paſſim auctores inuenimus; quidam enim, teſte SYLVATICO, (q) putant, hunc lapidem eſſe, qui generatus dicitur in oculis ceruorum in Oriente. Anilis enim Plinii fabula eſt, quam et allegant, et ut ueram hiſtoriam, AMATVS LVSITANVS (r) et SCALIGERVS (s) proponunt, quod ceruus narium ſpiritu ex cauernis ſerpentes extrahens, ut iam debilis ſenio nouum acquirat robur, edat, ac maxima affectus ſiti ſtagnantes ſubeat aquas, iisque, ad collum uſque circumdatus, tam diu immoretur, quouſque aduertat, ueneni uim eſſe ſuperatam, interea uero humoris in oculo paullatim craſſeſcentis atque ad glandis magnitudinem excreſcentis affluxum fieri, qui deinceps, poſtquam aquas dereliquit ceruus, ſiccetur, ſiccatus decidat, atque ab hominibus bezoardici titulo lapidis, cuiuis reſiſtentis uirulentiae, colligatur, aſſeruetur atque adhibeatur.

Verum

(q) *Pandect. cap. 399.*
(r) *Comment. in Dioſcoridem cap. 39. lib. 2.*
(s) *Exercitat. de Subtilitat. ad Cardanum exerc. 112.*

Verum haec ſententia ſanae principiis rationis repugnans ac fide dignorum uirorum relationibus atque experientiae repugnans, refutatione non indiget, ſed digna potius riſu, ridicule, inquit ANSELMVS BOETIVS DE BOOT, (t) quidam lapidem bezoardicum cerui lacrymam induratam eſſe putarunt. Nihilo ſecius IOANNES DE LAET (u) illam fabulam, non attendens ea, quae antecedens commemorauit auctor, dum eadem ſupplere, quae in illo omiſſa uidebantur, uoluit, denuo in ſcenam produxit. Quemadmodum uero in eo omnes prudentes medici conueniunt, quod lapis bezoardicus in animalis uentriculo generetur, ita maximus apud eoſdem in huius animalis deſcriptione diſſenſus occurrit, ſed non difficile erit, eoſdem inter ſe conciliare, ſi conſideramus, quod in pluribus diuerſae naturae et ſtructurae animantibus lapides bezoardico dicto ſimiles et inuenti fue-

(t) *Gemmarum et lapidum hiſtoria, quae Lugduni Batauorum 1647. in 8uo edita fuit lib. 2. cap. 192. p. 364.*

(u) *lib. de Gemmis et lapidibus, qui annexus fuit inſtar Commentarii Anſ. Boetii hiſtor. Gemm. lib. 2. c. 6. p. 114.*

fuerint, et adhuc inueniantur, unde eadem ad GARCIAE AB HORTO, Proregis Indiae Medici, (x) CAROLI CLVSII (y) et aliorum hiſtorias perſpiciendas atque explicandas, quas allegat ANSELMVS BOETIVS A BOOT, (z) merito applicanda ſunt.

VII. At ſunt aliae adhuc maioris res momenti examinandae et perpendendae, huius quippe lapidis diſtinctio, principia et uires; notiſſimum quippe bezoardici lapidis inter orientalem atque occidentalem diſcrimen, a terrae plagis, ex quibus ad nos aſportantur, deſumtum. Diuerſas quoque occidentali, ab orientali uires, et quidem huic prae illo praeſtantiores, multi tribuunt, ſed uariis inſtitutis experimentis, tum chymicis tum phyſicis, iiſque cum obſeruationibus clinicis collatis, idem, de quo alii maxime gloriati fuerunt, licet omnem adhibuerim ſedulitatem, haud inuenire potui. Non

(x) *Hiſtor. Aromat. et ſimplic. medicam. apud Indos naſcentium lib. I. cap. 45.*

(y) *in Notis ad Garciam lib. et cap. citatis.*

(z) *lib. cap. et pag. citat.*

Non omnem uirtutem lapidi bezoardico, in morborum medela, denegandam eſſe iudico, et idem in pathologiae exercitio uſum habet, et legitima ratione in ſufficienti quantitate adhibitus prodeſt, ſed uniuerſalem omnium morborum antidotum non conſtituit, nec tantae eiuſdem ſunt uires, quantas illi plures adſcripſerunt. Eorum dehinc ſententia nullo digna ſuffragio, qui, uti tradit DEVSINGIVS, (a) praedicant, nullum bezoardico lapide praeſtantius remedium ad cordis corroborationem, atque aduerſus quaeuis uenena et febres peſtilentes, cordis palpitationem, ſyncopen, melancholiam, febrem quartanam, uermes, malignam ſcabiem, lepram, pruriginem, impetigines, et neſcio quos affectus alios, reperiri. Multo minus illi audiendi ſunt, qui lapidem bezoardicum pro panacea ad omnis infirmitates generis curandas ſufficiente habent. Nec fide dignam MONARDIS (b) iudico ſententiam, qui perhibet, quod allegatum

 reme-

(*a*) *lib. citat. p. 348.*

(*b*) *Simplicium medicam. Part. 1. lib. 2. cap. 1.*

remedium, praeſentius et praeſtantius auxilium; effectumque in mulieribus, quam in uiris praeſtet. Magis adhuc a ueritate omnique aliena aſſenſu ſunt, quae ANSELMVS BOETIVS A BOOT (c) de externo huius lapidis uſu affert, ad omnium, inquit, animalium uenenatorum ictus et morſus ualet, ſi uulneri imponatur, nec minus uulneribus, toxico aut ueneno a ſagitta alioue inſtrumento infectis, puluis inſperſus medetur; foris, ſi alligetur ſiniſtri lateris brachio, ut nudam cutem attingat, perhibetur ueneni reſiſtere, et cor tueri, ne a ueneno aereue peſtilente aut contagioſo laedatur. Apertis etiam carbunculis peſtilentibus, ſi inſpergatur, uenenum omne exugere creditur.

VIII. Sic multis male perſuaſum, ſic plures falſo perſuaſi credunt, cum alii aliam eamque antecedenti omnino contrariam amplectentes ſententiam, lapidem bezoardicum, tanquam peſſimae uenenum naturae, plane repudient, diſſuadeant, damnent. In-

(c) *Lib. et edit. cit. lib. 2. cap. 198. p. 368.*

Infandus dicitur a GVIDONE PATINO (d) lapis bezoardicus, a quo tot fere offensi sunt, quot a strenuissimis remediis adiuti. Eadem fuit sententia THOMAE MIMADOI, (e) qui, nec admitto, scribit, nec in bezoardico lapide uim ullam occultam deprehendo, qua febribus opitulari possit malignis, meaque sententia est, commenta esse, anilesque fabulas, quicquid ab Arabibus de eo scriptum, et a recentioribus etiamnum uentilatum est. Pluries enim uariisque in aegrotantibus illum praescripsi, sed frustraneo semper euentu. His quoque adstipulantur NICOLAVS BOOCANGELINVS, Hispanus, (f) et MARTIANVS, Medicus Romanus, (g) quorum hic, nihil praeter nomen atque opinionem, ex lapide bezoardico, superesse, tradit, ille uero, huius lapidis usum penitus damnat. Reperiuntur adhuc alii, qui media

(*d*) *Annotat. ad Dr. Nicol. Ellain tract. de Peste, quae in Deusingii fascicul. dissert. edit. cit. p. 378. reperiuntur.*
(*e*) *lib. de febrib. malignis cap. 15.*
(*f*) *in Tractat. de febr. malign. et pestilent. cap. 17.*
(*g*) *Commentariis in Hippocratem.*

incedentes uia, hunc lapidem, huiusque ſufficientem quantitatem, in hoc illoue caſu, commendant, in aliis iterum, diſſuadent et repudiant; ex horum numero eſt FAVSIVS, (h) qui, explicata prius unicornu foſſilis uirtute praecipitante, haec de eo, quod iam explicamus, remedio, ſubiungit: idem de lapide bezoardico ſentio; quid tria grana efficerent in ualido corpore et ueneno forti? non omnis uis contra uenena ipſi deneganda. Peſte laborans monili ex maculis nigris ſatis latis totum collum ambientibus fui ornatus; ſumſi per biduum mane uiginti grana lapidis bezoardici ſingulis uicibus cum ſyrupo et ſucco citri et aqua acetoſae, et maculae, neſcio quorſum abierunt. Abuſus tollendus; multi enim pereunt ſoli huic lapidi ſalutem ſuam credentes. Quin et corpori impuro uulgus empiricorum obtrudit. Vidi ſaepius puerulos in paroxyſmos epilepticos praecipitatos, cum ex uentris dolore eiulantibus hic lapis ineptiſſime fuiſſet

(*h*) *in Epiſtola ad Deuſingium de unicornu, quae Deuſingii faſciculo diſſertat. edit. cit. annexa eſt p. 318. et 319.*

ſet oblatus. Eſt tamen obſtetricum panacea. Et nihilo ſecius huiuſmodi medicaſtros mundus amat, tanquam ad genium atque ingenium ſuum fabrefactos. Deus nobis meliora.

IX. Eo maiorem uero in uſu lapidis bezoardici circumſpectionem adhibere decet, quo rarior genuinus et uerus eſt, et quo frequentius ſpurius pro uero uenditur, aeſtimatur atque exhibetur. Tanta enim multorum hominum ſacra auri fames, tanta aſtutia eſt, ut lapidis bezoardici ueri inſtar, adulterinos ſpurioſque conficiant, qui tam quoad externam quam internam conditionem, exacte uero reſpondent, ita, ut difficile, ne dicam impoſſibile ſit, genuinum lapidem bezoardicum a ſpurio diſtinguere. Huius rei teſtem habeo CHRISTOPHORVM A COSTA, (i) qui refert, tanto artificio eos in Ormuz et urbe Cochin, prouincia Malabariae, ubi Rex degit, confici, ut legitimi appareant, fallantque in iis dignoſcendis maxime etiam expertos. Hinc

(i) *lib. de Medicina Indorum, cap. de manna.*

quoque ratio reddi poteſt, cur ex lapidis bezoardici uſu nullus ſaepe percipiatur fructus, ſed eius potius loco, detrimentum; ad quae attendens HIERONYMVS RVBEVS RAVENNAS, (k) Clementis octaui archiater, ſequentia de hoc lapide commemorat: non diffiteor, inquit, in febribus malignis, magnatibus uiriſque illuſtribus quam plurimis lapidem bezoardicum me ſaepiuſcule praeſcripſiſſe ad octo, decem, ſedecim grana, uerum nihil unquam laudabile exinde ſubſecutum, obſeruatum eſt, neque ſudorem, neque uomitum, neque alui fluorem, nullumue ſubſidium aut emolumentum, etſi magno pretio iſti lapides coempti fuiſſent, pro ueris natiuiſque haberentur, ab opulentis et eminentibus uiris comparati. Praeterea operae pretium facturum arbitror, ſi moneam, lapides illos fictitios eſſe et adulteratos, quod nobis innotuit in Clementis Octaui, Pontificis Maximi, felicis memoriae, morbo, in quo ex lapidibus iſtis ſupra quadraginta ad nos allatis, ne granum quidem

(k) *Commentario in librum III. Celſi de medicina cap. 7.*

dem legitimum optimaeque notae deprehendere licuit. Idem teſtatur RODERICVS A FONSECA, (l) ingenue pronuncians, lapides omnes bezoardicos hodierno tempore adulterari, nulloſque genuinos reperiri. Diſſuadet ex hoc fundamento dicti remedii uſum THEODORVS ANGELVTIVS, (m) omnibus, inquit, medicis conſulo, ne eiuſmodi credant lapidi, neue ullo modo in uſum uocent, cum certiſſime conſtet, nullum extare, qui adulteratus non ſit. Talis fuit lapis ille bezoardicus ex hydrargyro atque auro paratus, cuius uſu, teſte ALOISIO MONDELLA, (n) plurimi perierunt. Talis quoque eſt ex cinnabari, antimonio atque argento uiuo, ex RYFFII (o) teſtimonio, confectus. Ad hanc pariter claſſem, ille, qui, uti refert CHRISTOPHORVS A COSTA, (p) ex creta

(l) *Tractat. de febribus malignis.*
(m) *lib. de febrium malignarum medela.*
(n) *examine medicament. ſimplicium.*
(o) *in Pharmacopoea reſtaurata cap. de lap. bez.*
(p) *lib. de medicina Indorum oriental. cap. de dicto remedio.*

creta, cineribus teſtarum oſtrearum, ſangui-ne ſicco, et lapidibus bezoar minoribus ſub-tiliter contuſis conflatur, referendus.

X. Ab huiuſmodi certe ſpuriis lapidi-bus bezoardicis non niſi certiſſima pernicies atque innumera incommoda expectanda ſunt; haec uero a genuino lapide bezoar-dico, ſiue orientalis, ſiue occidentalis ſit, minus metuenda. Lapis enim bezoardicus magna ſubſtantiae terreae ſale alcalino ſatura-tae copia conſtat; unde, quae huius uirtus ſit, abunde patet, praecipua nempe acidae dy-ſcraſiae eſt antidotus, uiſcidoque ſucceſſiue reſoluendo ſeruit, praeprimis, ſi acidum ſuccos condenſans in culpa ſit. Certum hoc modo ex huius lapidis uſu emolumentum in cura morborum, qui ab acido proueniunt, certum econtra detrimentum, in affectibus, quorum cauſa in alcalini praedominio ſalis conſiſtit, aduertetur. Parum uero, aut ni-hil plane, ſi principia, operationem atque effectum reſpicias, lapis bezoardicus a cor-nu cerui et ebore ſine igne, unicornu mari-no, foſſili, lapidibus cancrorum, differt, quae optimo ſucceſſu, bezoardici loco lapidis, ad-

hiben-

hibentur. Cum uero tanta plurimorum hominum de huius lapidis uirtute eſſet perſuaſio, dehinc multis aliis medicamentis, ne dicam omnibus, nomen bezoardici tributum, imo nullum remedium efficax iudicabatur, et adhuc a multis iudicatur, cuius compoſitionem lapis bezoardicus non ingreditur, aut ad minimum bezoardici titulo non ſignatum eſt.

XI. Dehinc quoque factum, eum tanta lapidis bezoardici copia medicis non ſuppeteret, quanta ad quaſuis tot hominum infirmitates curandas egebant, cum arduum, ne dicam, impoſſibile eſſet, illud de praeſtanti atque uniuerſali lapidis bezoardici uirtute, praeiudicium, ex hominum animis euellere, ut quaeuis fere medicamenta, ſub bezoardicorum titulo, deinceps praeſcriberentur. Quam late igitur patens remediorum campus nobis in bezoardicorum examine occupatis ſeſe offerat, modo dicta abunde probant et confirmant. Tot certe hodie reperiuntur et commendantur ſic dicta bezoardica, ut potius de eorum ſelectu maxime laborandum, quam de penuria ac defectu

querendum ſit. Plura proſtant bezoardica ſimplicia, dantur multa compoſita. Iiſdem uegetabile abundat regnum, innumera nobis minerale ſuppeditat; nec parcior eſt numerus, quae ab animantibus deſumta, bezoardicorum nomine aegrotis exhibentur. Ex regno animali, praeter lapidem bezoardicum orientalem atque occidentalem, pro bezoardicis, teſte GIESWEINIO, (q) habentur, cornu cerui, ebur, unicornu, lapides cancrorum, margaritae, mater perlarum, os de corde cerui, mandibulae lucii piſcis, oſſa uiperarum, ungula alcis, mumia, caſtoreum, zibethum, ambra, calculi ueſicae felleae et urinariae, caro, ſanguis, axungia et lotium ranarum, ſerpentum, taxi, uiperarum, anatum, ciconiarum, pauonum, phaſianorum, ſcincorum, hircorum, ceruorum, hominum, cerebrum arietis, cuniculi, galli gallinacei, cor et hepar uiperarum, luporum et canum rabidorum, tunica uentriculi ciconiae exſiccata. Maximam pariter ſic dictorum remediorum bezoardicorum

(q) *lib. cap. tit. et edit. citat. p. 183.*

rum farraginem, quae ſuggerit regnum uegetabile, deprehendimus, talia ſunt, radix angelicae, ualerianae, uincetoxici, contraieruae, tormentillae, pimpinellae, zedoariae, ſcorzonerae, gentianae, helenii, imperatoriae, biſtortae, acori ueri, allii, anthorae, ariſtolochiae, bardanae, carlinae, ceruariae, chinae, dictamni albi, doronici, eryngii, iridis noſtratis, leuiſtici, pentaphylli, petaſitidis, ſaxifragiae, ſaſſaparillae, folia, flores, ſemina, cortices, fructus iuniperi, lauri, ſambuci, chermes, citri, aurantiorum, cubebarum, agarici, betulae, fraxini, acetoſae, ammios, aniſi, coriandri, cumini, leuiſtici, napi, borraginis, bugloſſae, calendulae, centaurei minoris, croci, hyperici, ſaluiae, ſcabioſae, ſtoechados Arabicae, ſucciſae, abrotani, abſynthii, artemiſiae, baſilici, betonicae, cardui benedicti, calaminthae, cardiacae, cochleariae, marrhubi etc. Nec his peruicax hominum curioſitas acquieſcit, plura quoque ex terrae uiſceribus protracta, quae bezoardica dicunt remedia, bolum nempe Armenam, terram ſigillatam, Bohemicam, Lemniam, uitriolum, nitrum, ſal

gemmae, ſuccinum, ſulphur, unicornu et ebur foſſile, cryſtallum montanam, et uarii lapides pretioſos pretii ac figurae, oſtentat.

XII. Tantam imo maiorem adhuc uarietatem, ad ſic dicta bezoardica compoſita atque artificialia tranſeuntes, animaduertimus. Quod, quaeſo, in libris pharmaceuticis, chymicis et practicis, aceta, aquas, balſama, condita, confectiones, conſeruas, eſſentias, ſpiritus, olea, pilulas, pulueres, rotulas, ſyrupos, ſpecies, trochiſcos, uina, electuaria, elixiria, extracta, iulepos, magiſteria, ſub titulo bezoardicorum deſcripta ac commendata inuenimus? Quot, quaeſo, antidota generalia, quot iterum ſpecialia, maxime ab inclutis laudata medicis proſtant? In tanta autem tam diuerſorum, multorumque inter eadem anilium, quae bezoardica dicuntur, remediorum farragine, ſumme neceſſarium, ut medicus diſcrepantem illorum indolem, ac uariam exinde reſultantem operationem examinet, atque aegroti conſtitutioni cauſaeque morbi accommodata ſeligens in uſum uocet.

XIII. Primum igitur, ne quis promiſcuo bezoardicorum uſu oleum et operam, hoc eſt, ſuam famam cum hominum ſanitate ac uita perdat, differentia inter bezoardica reſoluentia et temperantia, inter bezoardica alcalina atque acida, exacte et ad amuſſim tenenda obſeruandaque. Eadem enim toto inter ſe coelo, ſiue principia, ſiue ab iisdem dependentes effectus conſideres, differunt. In alio igitur morbi caſu cauſaque, bezoardica uolatilia, in alio aegrotorum ſtatu, praecipitantia adhibere decet; bezoardica acida aliis, aliis alcalina praeſcribenda ſunt. Illis uero remediis, homines, uel imminentes, quos timent, praecauendi, aut iam praeſentes, quibus affliguntur, morbos curandi ſcopo, utuntur. Ad morbos praecauendos, nullis huiusmodi remediis opus eſſe, autumo, modo homines a debito ordine ac congrua uitae ratione, in rerum, quas ueteres nonnaturales uocarunt, uſu non aberrarent. Quinimo, quotidianae ſuffragio experientiae conſtat, quod plures, dum bezoardicorum deglutitione, ſanitatem defendere uoluerunt, in uarias easque graues pla-

ne infirmitates inciderint. Recenti recentiſſimum exemplum memoria adhuc teneo, ubi ſartor huius loci, ſpiritum cornu cerui, ex conſuetudine ſibi familiari, ad proſperae tutelam ualetudinis, aſſumens, in continuam febrem uehementibus ſtipatam ſymptomatibus incidit. Plures quoque mihi ſatis noti, qui quotidie ſic dictos pulueres bezoardicos, eundem in finem, cum magno ſanitatis detrimento, aſſumſerunt, et adhuc aſſumunt.

XIV. Multis haec non aeque uera uidebuntur, certum tamen, quod optima ſanis medicina ſit, ſobrietas, omniumque remediorum, bezoardicorum praeſertim, fuga. Nec ea te anilis occupet perſuaſio, quod quaedam inter bezoardica reperiantur, omnibus congrua et utilia partim, partim innoxia et quaſi media, quae ſi nullum emolumentum, nullum peraeque detrimentum afferant. Sed ſiſtas tibi cuiuscunque remedia naturae, eaque uel reſinoſa, uel ſalina, uel terrea, aliaque multiplicis bezoardica indolis, nullum inter eadem deprehendes, quod effectum, uel bonum, uel malum, tum in ſanis tum aegrotis, non exerat. Si igitur

tur promiſcue, uel medicamentum bezoardicum penetrans, uel abſorbens, quibusuis hominibus, tam ſanis, quam aegrotis, tam integram conſeruandi ualetudinem, quam omnis mala generis profligandi fine, praeſcribis, quid exinde expectandum eſſe, putas? certum certe detrimentum. Hinc me quoque haec recordantem miſeri miſeratio ſtatus, in quo ſalutaris res artis iam conſtitutae ſunt, ſubit; plures enim, non agyrtae, ſed celeberrimi plane medici reperiuntur, qui uaria remedia, ſic dicta bezoardica, ſub balſamorum uitae, ſpirituum bezoardicorum, eſſentiarum aſtralium, puluerum cordialium, pilularum uiſceralium et uitalium titulo, omnibus promiſcue hominibus, ſanis et aegrotis, tanquam certiſſima antidota, commendant, nec uerentur ſchedulis publicis, circumforaneorum more, non hominum ſalutem, ſed deteſtandum aucupantes lucrum, eadem, repugnante licet ratione, certiſſima bonorum malorumque arbitra, aduerſus quosuis laudare et praeſcribere affectus.

XV. Nihil itaque ſine ſufficienti ratione, in bezoardicorum uſu, a prudenti ſuſcipiendum medico, etenim, ut CICERONIS (r) uerba, mea faciam, bene adhibita ratio cernit, quid optimum ſit, neglecta multis implicatur erroribus. Hac duce, medicus in pathologiae exercitio, utens, minima maximaque, uti loquitur SENECA, (s) ex huius conſilio, prudenter et feliciter geret. Haec regula, ſi in ullorum remediorum, bezoardicorum certe, eorum cumprimis, quae draſtica uocantur, praeſcriptione, uero commendatiſſima debet eſſe medico. Draſtica uero bezoardica appello, quae largiore ſalis uolatilis et ſulphuris copia praedita, magnam ſolida irritandi, et fluida diſſoluendi atque attenuandi uim poſſident. Huiusmodi bezoardica in morbis, qui a ſeroſae abundantia colluuiei neruorumque atonia et flacciditate dependent, praeſentiſſimae ſubſidia operationis ſunt, atque illud, quod deſideramus, afferunt emolumentum, eorum

(r) *Lib. IV. Tuſculanarum quaeſtionum.*
(s) *lib. 2. de Beneficiis cap. 18.*

rum econtra in ſiccioris hominibus conſtitutionis uſus maximum affert et creat detrimentum. Quid igitur de illorum medicorum methodo medendi, qui ſal uolatile oleoſum Syluii, ſpiritum bezoardicum Buſſii, liquorem cornu cerui ſuccinatum, mixturam ſimplicem, ſpiritum roſarum, aut ſalis ammoniaci uinoſum deſtillatis aromatum oleis ſaturatum, promiſcue in quibusuis morbis, ſcopo materiam peccantem a corde ad corporis ſuperficiem propellendi, praeſcribunt, ſit ſentiendum, non obſcurum eſſe poteſt. Huiuſmodi bezoardica, calida antiquis dicebantur, de quorum abuſu atque exinde enatis incommodis, ſequentem tibi, qui haec in deliciis habes, HIPPOCRATIS (t) aphoriſmum commendo: τὸ θερμὸν βλάπτει ταῦτα τοῖσι πλεονάκις χρεομένοισι, σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκράτειαν, γνώμης νάρκωσιν, αἱμοῤῥαγίας, λειποθυμίας, ταῦτα οἷσι θάνατος. Nec ſufficit Coo Noſtro, enumeraſſe mala, quae bezoardicorum uolatilium abuſum ſequuntur, ſed idem etiam

E eadem

(t) *Aphoriſmorum Sect. V. §. 16.*

eadem in ſic dictis morbis frigidis commendans, contraindicantia adiungit, quae illorum praeſcriptionem diſſuadent, ὁκόσα, monet iſte, (u) κατέψυκται, ἐκθαιρμαίνειν δεῖ, πλὴν ὁκόσα αἱμοῤῥαγέει, εἰ μέλλει. Si has Hippocratis cautelas, praeſentis medici temporis in uolatilium bezoardicorum uſu attenderent, melius ſane multis proſpectum eſſet, et adhuc proſpiceretur aegrotis.

XVI. Quo maior uero humorum uitalium in morbis eſt reſolutio, quo uehementior urget aeſtus, quo ſolida ſicciora et magis reſiſtentia, eo grauior, eo certior, ex bezoardicorum uolatilium alcalinorum praeſcriptione, pernicies metuenda; aucta enim exaſperataque ſalium acrium in huiusmodi corpore excedentium praua corruptaque indole et copia, auctaque neruorum contractione atque in fluida actione, intenditur humorum attritus, creſcit aeſtus, atque in igneum penitus feruorem mutatur, animalis turbatur ſecretio, praecipue inſenſibilis impeditur perſpiratio, uiſcera ac partes

(u) *Eadem aphoriſmorum Sectione §. 19.*

tes internae inflammantur, peruigilium, delirium, conuulſiones accerſuntur. Talem effectum huiusmodi remedia in cura uariolarum, morbillorum, purpurae, febris petechialis aliorumque ſimilium morborum, a ſimili cauſa materiali prouenientium, praeſtant. Noui quidem, quod plures medici perhibeant, ignem igne eſſe ſubigendum, et quod huiusmodi bezoardicorum uſu materia peccans ſit eliminanda. Tantum uero abeſt, ut haec remedia in huiusmodi aegrotis ad exturbandas exhibita uariolas, aliaque ſimilis exanthemata naturae foras eliminanda, conueniant, aut eorum eruptionem accelerent et promoueant, quin potius eidem remoras iniiciant; ſanguine enim, ſcribit SYDENHAMIVS, (x) his modis excalefacto, et in motum uiolentiorem, quam qui materiae uariolaceae ſeparationi rite peragendae par eſſet, concitato, obſeruaui, certa tantum quaedam indicia ſeſe prodidiſſe, latentibus intra cutem puſtulis, neque ſe ultra efferentibus,

 qui-

(x) *Opuſc. quae Geneuae 1684. in 12mo prodierunt, tr. de Variolis regul. p. 209. et 210.*

quibuscunque demum bezoardicis ſollicitarentur, donec tandem ſanguine ad moderatam debitamque temperiem redacto, conceſſa ſcilicet cereuiſia tenuiore, demptoque ſtragulorum, quibus torrebantur, onere, puſtulis exiturientibus commodam ſtraui uiam, atque aegros in tuto, fauente Numine, collocaui. Idem, idque ſincerum, de bezoardicis uolatilibus alcalinis, in cura uariolarum, iudicium fert LVDOVICI, (y) nam, inquit ille, ubi ſanguinis uehementior feruor exaltatur, mors, quaſi anticipando, facile ſuperuenire poteſt, aeque ac complures puſiones terrae mandantur, nimia cubiculorum exaeſtuatione, potus denegatione uel calefactione, expulſiuorum anticipatione, multitudine, etc. quae ceteris paribus, uel ruſticorum exemplo, parciori conſideratiorique medicatione forſan ſeruari potuiſſent.

XVII. Quod ſi huiusmodi aegrotus in flore aetatis conſtitutus plethora laboret, et exinde pulſum plenum et uehemen-tem

(y) *Ephemerid. German. Dec. I. ao. 3. p. 116.*

tem habeat, atque inſignem ſanguinis turgeſcentiam, indeque pendentem immoderatum aeſtum, ſitim, cephalalgiam, dyſpnoeam, anxietatem, inquietudinem, tremores artuum, atque inſultus epilepticos patiatur, eo magis bezoardica uolatilia, tanquam angue peiora, fugere, et praeter tempeſtiuam ac ſufficientem uenae ſectionem, temperantibus ſuccurrere decet. Eadem incedendum uia in miliaris medela febris, quae haud raro, per abuſum uolatilium bezoardicorum, talis, nempe exanthematica, redditur. Mentem iam ſubit hiſtoria aegroti, qui continua affectus febri a medico ſpiritum bezoardicum Buſſii accepit, quo miſere per octodecim dies excruciatus, tandem periit. Culpa et cauſa huius mortis in albam coniiciebatur purpuram, quam tamen artificialem, hoc eſt, bezoardicorum uolatilium abuſu medicamentorum inductam fuiſſe, non ſine ratione autumo, praecipue, cum per totum illud temporis ſpatium alui conſtipatione laborarit, atque ad illam tollendam, nec clyſma, aut aliud

accommodatum ſubſidium, per illos octodecim dies fuerit adhibitum.

XIIX. In aliis uero morborum et cauſarum morbificarum circumſtantiis, bezoardica uolatilia, praemiſſis praemittendis, locum habent. Ita eadem, in aegrotis apoplexia tactis, in quibus et ſanguinis abundantia et uiſciditas peccat, poſt debitam ſanguinis euacuationem, conuenient, ante eandem celebratam maxime noxia, quia uaſorum cerebri infarctum augendo, magis ſenſus motusque actiones peruertunt. In haemorrhagiis econtra, haemoptyſi, uomitu cruento, dyſenteria, talia bezoardica, tanquam peſſima uenena penitus exulare debent; nullum enim in tali rerum ſtatu ab huiusmodi medicamentis emolumentum, certiſſimum uero et maximum ſperandum detrimentum.

XIX. In cura febrium intermittentium bezoardica uolatilia non plane damno et diſſuadeo, nec promiſcuum eorum uſum in omnibus admitto. In iis certe aegrotis, qui bilioſis affecti febribus maximo affliguntur aeſtu, talia, de quibus ſermo eſt, bezo-

zoardica, rationibus paragrapho decimo ſexto iam allegatis commotus penitus repudio. Eadem econtra commendo, poſt ſufficientem primarum uiarum expurgationem, in febribus, quae a ſeri et maſſae uiſcidae copia ortae, ſeroſae et pituitoſae uocantur. Praemittenda igitur hic bezoardicorum uſui congrua tam *ἄνω* quam *κάτω* euacuantia, alias his neglectis, ſi bezoardica, canale alimentorum plurimis referto cruditatibus, praeſcribimus, maius exinde in tales aegrotos detrimentum, quam emolumentum redundabit. Aduerti menſe Octobri praeteriti anni, ex huiuſmodi praepoſtera bezoardicorum uolatilium praeſcriptione funeſtam et fere lethalem tertianae intermittentis in continuam febrem mutationem. Ex eorundem pariter remediorum abuſu, in aegroto quartana afflicto febri, quam aluus pertinaciter conſtipata comitabatur, recti tumorem atque inflammationem inteſtini praeterito praeſentis anni menſe obſeruaui.

XX. Melius, his ita conſtitutis, erit, uolatilium loco bezoardicorum, ſalia fixa et re-

remedia ſaponacea ex ſale tartari atque oleo therebinthinae per digeſtionem parata adhibere, ſi enim periculum non in mora, uolatilibus bezoardicis omnino carere poſſumus, dum ad uiſcidae reſolutionem maſſae pedetentim perficiendam, fixa bezoardica, qualia ſunt ſalia plantarum, cardui benedicti, centaurei minoris, abſinthii, ſufficiant. Talia ſane medicamenta poſt euacuatas primarum uiarum ſordes, in iis aegrotis, in quibus acidum ac uiſcidum, negotium faceſſunt, medico prudenti commendatiſſima eſſe debent. Horum miniſterio remediorum, in aliquot aegrotis, felici ſucceſſu et breui temporis ſpatio quartanam intermittentem profligaui febrem. Eadem quoque bezoardica fixa in hepatis, lienis aliorumque uiſcerum obſtructione, ac ſic dicto malo hypochondriaco maxime proficua ſunt, ſi praecipue illorum uſui, poſt ſufficientem maſſae uiſcidae attenuationem, congruum emeticum, aut purgans, mercuriale imprimis, interponamus atque adiungamus.

XXI.

XXI. Sin uero, quem curandum habes, aegrotus dyſcraſia ſalino-ſulphurea laborans in febrem bilioſam, hecticam, icterum, tabem, melancholiam incidat, temperatiora bezoardica, qualia ſuppeditant ſalia neutra, nitrum ſcilicet antimoniatum, lapis prunellae, arcanum duplicatum, ſeligenda, ac cum ſeroſis et gelatinoſis iuncta, exhibenda ſunt. Sed, quanquam certum ſit, quod nitrum in tali ſtatu egregia ſuggerat remedia; quanquam RIDLINO (z) concedamus, quod nitrum praeparatum, in quibuscunque febribus, praecipue continuis et malignis, decoctis pro potu ordinario praeſcriptis, non ſine fructu additum fuerit; quanquam eidem largiamur auctori, quod allegatum medicamentum in ſalacitate, furore uterino, illiſque caloribus, qui uolatici dicuntur, felici uſurpetur ſucceſſu, non tamen idem pro panacea bezoardica habendum, cum in ſeroſae hominibus conſtitutionis, qui debilem poſſident uentri-

F cu-

(z) *Lineis Medicis de ao. 1695. menſe Octobris Obſ. 22. pag. 345.*

culum, contrarium penitus praeſtet effectum. Quinimo, perſpecta cognitaque habeo biloſae ſubiecta naturae, quibus nitrum antimoniatum exhibitum, nauſeam, tormina, dyſpnoeam, abdominis intumeſcentiam, creauit.

XXII. Et ſane operae pretium eſt, ut has perpendens circumſtantias, remedia bezoardica iterum mutes, et pro nitroſis acida adhibeas, quae, quo palato uentriculoque magis accommodata, eo praeſtantiorem exinde operationem expectare poſſumus. Quanta ſit huiusmodi bezoardicorum in particulis acribus alcalinis et ſalinoſulphureis corrigendis, aeſtu ſedando, neruis laxioribus roborandis, utilitas, pluribus argumentis atque experimentis Nobilis Dominus DE BERGER, (a) immortale Academiae noſtrae ornamentum, ob oculos poſuit. Verum enim uero, hic merito cautelae, antecedentium occaſione remediorum, ſuppeditatae, obſeruandae, ut ſcilicet bezo-

(*a*) *binis diſſertationibus de acido inſonte, quibus, quae a congruo acidorum remediorum emolumenta ſint expectanda, demonſtratur.*

zoardica acida, niſi ſufficientia adſint indicantia, non praeſcribas, probe gnarus, quod multi reperiantur aegroti, in quibus acidae praedominium dyſcraſiae maximum faceſſit negotium.

XXIII. Conferenda igitur a medico prudente in uſu bezoardicorum pugnantia, et comparanda contraria. Quam grauia et pernicioſa mala ex nimia humorum reſolutione, tenuitate atque acrimonia propullulent, plures caſus tragici quotidie occurrentes docent, Medicus acerſitus atque in huiusmodi rerum anguſtiis conſtitutus ad bezoardica opiata, quae incraſſantia dicuntur, niſi aliud ſuadeant et demonſtrent contraindicantia, confugiat, neceſſe eſt. Salutarem huiusmodi remedii effectum expertus fuit RIDLINVS, (b) ſic nuper admodum, ſcribit ille, cum mercatoris cuiusdam primarii filiolus, per trimeſtre, et quod excurrit, tuſſi tam uehementi diuexaretur, ut et interdum magna narium haemorrhagia ſubſecuta fuerit, plurimaque remedia, quam dili-

(b) *Lineis medicis anno et menſe citatis obſeru. 21. p. 344.*

gentiſſime adhibita, nihil quicquam efficerent, quinimo malum ſemper creſceret, quatuor annorum puero ex duobus granis duas formatas pilulas ſub noctem exhibere iusſi, pilularum nempe de ſtyrace, has cum uix bis terue ſumſiſſet, malum tantum non in totum ſublatum fuit, imo cum pauculos adhuc dies haſce pilulas continuaſſet, Dei gratia, plane deſiit. Aſt non ſemper oleum, maxime ſaepe obſunt opiata, praecipue ſi mox in principio febrium continuarum et catarrhorum adhibeantur. Idem allegato euenit RIDLINO, (c) qui foeminae febre continua haud adeo acuta, non tamen omnis malignitatis experte decumbenti, et tantum ſeri tenuis ore et naribus reddenti, ut uix uerbum commode proferre potuerit, unum granum extracti opii cydoniati aliis maritatum medicamentis exhibuit, quo uix aſſumto, tam male ſe habuit, ut iamiam mortem inſtare ſibi metuerit, a quo autem metu, uolatilis ſubſidio remedii denuo liberata fuit. Diſce interea, ex hac, cum citato aucto-

re,

(c) *Millenario Curar. medic. Centur. IX. obſ. 51. p. 591. et 592.*

re, obſeruatione, dico, quam caute medicamenta opiata ſint exhibenda. Cum haec ita ſe habeant, et quotidianae ſuffragio experientiae ſanaeque conſenſu rationis ſint confirmata, non ſatis perſpicere queo, quo fundamento nixus idem celeberrimus medicus, (d) alexipharmaca ſeu ſic dicta bezoardica, mithridatium Damocratis, theriacam, ſanis tuto exhibenda commendare poſſit, qui tamen propria edoctus experientia, quam funeſtum theriaca coeleſtis intempeſtiue ſumta effectum induxerit, peculiari indicauit (e) et deſcripſit exemplo.

XXIV. Denique omnia iſta, quae ex opio parantur, minus tuta ſunt bezoardica, ſi aliquis ex ueneno acri, quale arſenicum, deglutito, uehementi uomitu, torminibus, ardore, inquietudine, anxietate corripitur. Hic enim eiuſmodi deſiderantur medicamenta, quae acrimoniam implicando atque obuoluendo, neruos uentriculi atque inteſtinorum irritatos demulcendo et lubricando,

(*d*) *Lin. med. ao. 1696. menſe Aprilis obſ. 1. p. 153.*
(*e*) *Millen. Cur. med. Cent. VIII. obſ. 96. p. 478.*

do, ueneni iam ſatis temperati et correcti reiectionem adiuuant. Hoc, ſi negligas, ac uomitus ſiſtendi ergo, mox ad opiata, qualia, theriaca coeleſtis, laudanum opiatum, diaſcordium Fracaſtorei, eſſentia anodyna, confugis, uenenum intra corpus hac ratione retentum eo funeſtiorem exercebit tragoediam, certiſſimamque afferet perniciem, uti propoſito caſu, incomparabilis noſtro ſeculo Medicus, FRID. HOFFMANNVS, (f) demonſtrauit, adiuncto ſimul alio exemplo, quo confirmatur, optima bezoardica ad ueneni acris ore aſſumti correctionem atque eliminationem, eſſe ſeroſa, lac, lacticinia, oleoſa, pinguia, u.g. oleum amygdalarum dulcium, lini, oliuarum, iuſcula carnium teneriorum, butyrum non ſalitum, affatim hauſta, iisque procuratum promotumque uomitum. Quemadmodum uero in tali rerum ſtatu ſaepe medicorum negligentia atque imperitia accuſanda, ita ex eodem fonte peruerſam diarrhoeae et dyſenteriae medelam arceſſendam eſſe, haud ſemel aduerti, in illis quippe morbis curandis, plures primum euacuantia, rhabarbarum ſcilicet, pilulas Becheri, Bontii, in uſum uocant, deinceps, quando hac abſona medendi methodo

(f) *Medicina Conſultatoria Decad. I. caſ. VII. p. 37. et 38.*

do omnia ſunt exaſperata, continua praecipue febris ſimul acceſſit, illico uel ad opiata, uel ad alia adſtringentia, terrea nempe, confugiunt, cum tamen iisdem ex ſanae uſu et dictamine rationis conſtare deberet, nec ſtimulantia, quae quippe nimis auctum iam motum periſtalticum inteſtinorum magis intendunt, nec adſtringentia, quae materiam peccantem retinent, ſed ſola demulcentia et lubricantia conuenire.

XXV. Quis itaque, haec ſubducta ſecum ratione examinans, negare poteſt, quod in uſu bezoardicorum terreorum, eorum praecipue, quae ui adſtringendi obſtruendique maxime pollent, prudentia ac circumſpectione omnino opus ſit. Ea terrea, quae uel natura ita comparata, aut fortiore ignis tortura, aut menſtruis acribus corroſiuis in meras calces irreſolubiles conuerſa, omni acre abſorbendi aperiendique uirtute deſtituuntur, e medico prorſus proſcribenda foro arbitror, plurimisque conuictus rationibus atque experimentis affirmo. Menſe Iunio praeteriti anni me conſulebat foemina Schmiedebergenſis, de uementi uehentriculi dolore, appetitu plane proſtrato, totius corporis laſſitudine conquerens; haec, cum in principium huius morbi paulo penitius inquirerem, referebat, quod intermittente affecta febri pulueres plures a medicaſtro acceperit, quibus deglutitis, ſtatus illius indies deterior redditus fuerit. Ominans hinc, quantum ex relatis coniectura aſſequi licebat, puluerem illum fuiſſe terreum adſtringentem, ſex doſes ſalis abſynthii, dimidiae quantitate drachmae, primum, deinceps emeticum, et tandem tincturam martis ab-

ſyn-

ſynthiacam, praeſcribebam, quibus Dei beneficio per-
fecte reſtituta, integra iam fruitur ualetudine. Plu-
res ex uſu corticis chinae in uentriculi dolorem inci-
diſſe, ſaepe laudatus RIDLINVS (g) teſtatur. Si idem,
cortex chinae, qui ab allegato auctore merito febrifu-
gorum maximum et tutiſſimum nominatur, praeſtat,
quid a bolis terreſtribus terriſque irreſolubilibus ex-
pectandum, quas multi Stahliani nihilo ſecius cum
ſummo aegrotorum detrimento exhibent. Nuper
modo curandum habui aegrotum, qui febre quartana
laborans, accepta tali terra, quam *Roetelſtein* dicunt,
in haemorrhoides coecas, inteſtini recti inflammatio-
nem, alui conſtipationem, febrem lentam continuam
incidit, a quibus denuo, ſolo arcani duplicati atque in-
fuſi emollientis frequenter adhibiti uſu, miſericordis
auxilio Dei liberatus fuit. Alius recordor aegroti
uentriculum cruditatibus onuſtum habentis, cui car-
cinoma Stahlianum pulverem terreum ſtypticum de-
derat, a quo aluus cum plurium concurſu ſymptoma-
tum adeo conſtipata fuerat, ut repetito clyſmatum et
aperientium remediorum uſu, eandem reſerare neceſ-
ſe eſſet. Omnia uero bezoardica terrea, ea imprimis,
quae ſalia ſecum gerunt, non repudio, ſed talia ſaltem,
quorum iam ſupra facta mentio. Cautius hinc, alieno
ſapientiores redditi periculo, diſcamus mercari, o-
mnemque, in diuerſorum praeſcriptione bezoardico-
rum, moueamus lapidem, ne illius, quem conſer-
uare debemus, abſona medendi methodo,
uitae acceleremus finem.

(g) *Lin. med. A. 1696. menſe Decembr. obſ. 15. pag. 613. et 614.*